

Bibliothèque numérique

medic@

**Asselin, Jean-Baptiste-Charles -
candidat / Thiéry, François -
président. - An in Celluloso Textû
frequentiùs morbi & morborum
mutationes ?**

1788.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi. viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°156



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0156](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0156)

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis quintâ mensis

Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVIII*.

M. FRANCISCO THIÉRY, Equite, Regis è Salubri Consilio,
plurium Academiarum Socio, Doctore Medico, Præside.

An in Celluloso Textû frequentius morbi & morborum mutationes ?

I.

MEMBRANA, tunica, vel tela cellularis, melius textum cellulosum maximam corporis partem efficiens, sic vocatum quod cellulis innumeris ad se mutuo patentibus sit conflatum, multò majoris quàm huc usque visum est momenti; ut in sanitate multiplicem usum præstat, sic in morbis maximas partes agit. Cellularum texti illius fabrica filis laminulisque constat à se invicem sejunctis, nervis, vasculis omnis generis interjectis, inter quæ sunt infinito numero quæ humorem erudant lymphaticum varium, pingue nempe, mucosum gummi vegetantium similem, ferosum variæ consistentiæ, areolas incertiæ figuræ & amplitudinis distendentem, quæ tamen absconditæ interdum & quasi inanes, flatu vel maceratione magis conspicuæ fiunt: ipsæ verò laminulæ fibrillæ, majores, minoresve, cujuscumque latitudinis, quaquaversum obversæ quasi temerè disponuntur. Solidas autem non cavas esse suadent injectiones quibus imperviæ sunt, dum cellulæ omnes injecto liquore turgent ac distenduntur, sive per majores arterias, sive per venas injectiones fiant; undè etiam vasa exhalantia simul & absorbentia in cellulas aperiri edocemur. Laminulæ porro illæ filaque ad fibrosam naturam referenda fibræ sunt tenuissimæ, brevissimæ item, sed utcumque planæ ac in latitudinem majorem minoremve expansæ. Inde ab altero fibrarum genere distinguuntur; hæ nempe multò longiores, (cum quibus circulares cavorum musculorum annumerandæ) nullius ferè latitudinis sunt, ad quas musculares, tendinæ, nervæ referuntur. Quàm latè autem se diffundat cellulare textum facile intelliges ex quo videbis ex illo ferè efformari quodcumque non fibra

* Prima Editio anno MDCCCLIX. altera anno MDCCCLVII. Quam recensam illustrissim, van Haller collectis disputationibus ad historiam & curationem morborum facientibus inseruit, Tom. VII.

longa est, nullamque longiorem fibrâ quamcumque in partem protendi quin texto cellulari stiperetur; nec illud partium superficie tenus sisti, sed in illarum omnium penitissimos recessus insinuari, ita ut ne minimæ quidem fibrillæ longæ sua desit vaginula cellulosa. Unde cogitare suberit totum corpus animale meram esse spongiam quæ per meatus suos fibris longioribus quâcumque ratione efformatis aditum transitumque præbeat. Hujus assertionis veritatem comprobabit singularum partium sedula observatio.

Detradâ cute, tibi statim occurrit textum cellulare laxum, amplum, humore pinguiori scatens, quod veteribus panniculus adiposus, carnosus quem homini falso tribuebant, panniculo suppositus; membrana dein musculorum communis à nonnullis vocatur; nunc vulgò, sub cute & ubicumque pinguius est, ut in omento, circa renes, &c. membrana adiposa, aptiori appellatione dicitur. Hoc cellulare textum non solum universum corpus perindè ac cutis vestit, sed musculis, tendinibus, ligamentis, &c. ubi indumentum exterius præbuit, singulis quibus hæ partes contextuntur fibris longis se adjungit, tenerius, & minus pingui, prout intimius est, liquore madens; tuncque membrana, tela, vel tunica cellularis pro varietate figuræ & functionis vocatur. Ad vasa deindè cujuscumque generis oculos adjicias, paucis fibris longis exceptis, membranas quibus formantur merè cellulares reperies, exterius laxiores & sæpè pingues, strictiores verò quò intimiores sunt. Sic viscerum & glandularum fabrica maximâ parte cellulosa est, cum nihil aliud sint quàm vasculorum cujuscumque generis in glomulos implicitorum congeries.

Quin etiam glandulæ & viscera quæ prætereà undique fulcit textum cellulare eo ipsemet involvuntur mutuato à membranis quæ cava magna, ventres corporis vulgò appellata, succingunt. Peritonæum nempè quamcumque in partem producat, expandatur, tela cellularis ambit: ac proindè omnes abdominis viscerum membranas quæ totidem sunt peritonæi propagines: amplior quidem, laxior ac pinguior in omento, mesenterio, mesocolo; alibi macrior, ut ita dicam, atque strictior. Intestinelorum tunica, si muscularem exceperis, quæ tamen tenuissimam suam habet cellulosa, merè cellulares sunt, cum nervea sic dicta tunica, hic sicut & alibi, cellularis sit strictior, & deindè villosa præter vasa impleatur spongiosa quâdam substantiâ quæ vascula necit & ordinat. Fabricam similem agnoscunt tunica ventriculi, vesicæ fellis & urinæ, ductuum biliariorum, ureterum, &c. De plevrâ, idem dicas in pectore, ac de peritonæo, in abdomine. Pulmonem ipsum merè cellulosum esse demonstrant vasorum quæ habet infinitus propè numerus, visceris habitus, tum experimentum facile; quamcumque enim pulmonis particulam infles, flatus omnem perambulat pulmonem, certo argumento constare illum texto, cujus partes omnes mutuo inter se patent, proindèque cellulari. Dura mater, Arachnoïdes, tum pia mater quæ per cerebrum, medullam spinalem, indèque per totum nervosum genus propagatur, merè cellulares sunt, plus vel minus tenuiores vel densiores. Sed nervi, ex cerebro & medullâ spinali exeuntes, meningibus non velliuntur, ut vulgaris fert opinio; verum ex partibus vicinis cellularem induunt vestitum; sicque singulos fasciculos, singulas fibras & fibrillas, divisos habent, mediante textu celluloso subtilissimo. Fibræ igitur longæ, muscularis sit vel nervea, similior, ex parte saltem involucri, fabrica.

Cutis ipsa & densissimæ aliæ membranæ, maceratione, flatu, non adeò multis fibris longis remanentibus in celluloso floccosumque textum interiùs latens abeunt. Illud prætereà reperies in membranâ pituitariâ, corneâ, in capsulâ crystallinâ anteriori parte, sinibus lateralibus ossis sphenoidis, in linguâ, labiis,

pilorum radice, corpore vitreo oculi, ubi tenuissimum est, inter duram matrem & vertebrarum canalem, in corporibus cavernosis penis, clitoridis, quæ cruorem in statu naturali effusum accipiunt, in scroto, cum rariori pinguedine, &c. ubique, ne ossibus quidem exceptis. Horum scilicet, haud secus ac partium mollium substantia, duplex fibrarum genus admittit, unum ex fibris longis, alterum ex laminis conflatum. Cavitates præterea majores, minoresve, quibus constant, duplici cellulari fabricâ instruuntur; osseam quippe in extremis & in ipsis penetralibus membranaceam subtilissimam habent, in quâ liquor oleosus continetur, medulla dictus. In duas partes corpus quasi dividi, dextram & sinistram, ostendit tam ossearum, quam molliorum partium attenta contemplatio; quod jam diu notum etiam priscis Medicis: hencce perpendicularem lineam in trunco secari; ponderosum hepatis in dextris, cor & arteriæ magnæ curvaturam (principium motus) in sinistris; trunco quasi basi, collum, huicce quasi columnæ, caput supereminere, manifestum: inde in toto, æquilibrium, mobilitas, elegantia. Quibus simul inservit textus cellularis moles, dispositio; in carpo & ad malleolos strictioris, in genis, mammis alibique abundantioris, & ubique ad formam justa durities. Copiosius est cellulare textum, & amplioribus laminis cellulisque efformatum in magnis musculorum & partium interstitiis, ubi ossa eminent, ad partes quæ per vices dilatari & constringi debent, ubi motus & attritus maximi. Uteri, mammarum, aliarumque partium dilatabilis natura spongioso textu debetur. Elatere donari certissimum: motu proprio privari, nisi fibræ longæ intertextæ sint; sed ex vasis, musculis, & ab agentibus externis per communicationem motum accipere, qui functionibus obeundis satis sit, credibile. Laxum, adiposum, sensum non admittit, retinet ubi strictius fibris longis non destituitur. Sic justo moderamine temperatur sensus, quo maxime minuto ignavum & hebes corpus, quo nimio convelleretur.

Systematis cellularis cavitates, ex penetralibus ad externa, ab imis ad verticem, sibi invicem pervias esse demonstrant cum experientia ex sufflato aëre vel liquore injecto, quo utroque cellulæ vel remotissimæ illico distenduntur, tum morbi, & cutis universum corporis involucrum, accuratior etiam autopsia. Vasa enim & singulæ partes dum per varia corporis loca progrediuntur, singuli cujusque membri tunicâ cellulari exterius induta universi systematis illius favent commercio. Sic vasa iliaca, spermatica in viris, in fœminis ligamenta rotunda, urethra, intestinum rectum, &c. dum abdomine exeunt cellulosam relam peritonæi secum adducunt, eamque cum pudendorum & partium inferiorum cellulari perviam reddunt. Secundinarum verò, & abdominis exterioris, cellularem fabricam in communem trahit funiculus umbilicalis. Sic etiam aorta, cava vena, ductus thoracicus, vena azygos, par vagum, dum in thorace adhuc sunt cellularem plevræ, in abdomine verò eam peritonæi circumjectam habent, quas ergo continuas fieri necesse est ubi per septum transeunt. Alia loca quibus cellularium peritonæi & plevræ, harumce verò cum cellulosis thoracis & abdominis exterioribus mutui sint aditus sectiones anatomicæ tibi ostendent. Ex supradictis etiam cellulosa capitis & extremitatum superiorum cum illis mediis & infimis ventris adeoque extremitatum inferiorum commercium demonstrabitur. Sic trachea arteria cellulares capitis, colli & pectoris mutuo pervias facit; œsophagus huicce commercio ventriculum addit, adeoque abdomen universum, &c. Demum, ubi cutis in ore, naribus, oculis, &c. non tam perforatur, quam intro reflectitur, cellulares externas cum internis fieri continuas manifestum est.

Jam quis sit usus texti illius cellularis tam exquisito apparatu ubique in cor-

A. ij

pore profusi, etiam in vegetantibus conspicui, facile intelligitur. Primò siquidem partes multæ ex eo solo formantur, aliæ ab iis distinguuntur, partes corporis à se invicem remotissimæ, continuuntur & unà conspirant, vacua opplentur interstitia, singularum partium determinantur figuræ, fibræ longiores, musculares scilicet & nervæ propriè didæ, firmantur, ac veluti molli tomento ita fulciuntur, ut à se invicem divelli sine rupturâ queant ac rursus appropinquari: inde partes extendi, relaxari, constringi possunt, pro rei necessitate; arteriæ præsertim, quarum motus perpetuus, in sedibus suis retinentur, affluentiori humori cedunt & facilius restituuntur: verbo, omni machinæ firmitas, mollities, mobilitas simul & forma conciliatur. Vix sine textu celluloso contractio muscularis speranda esset. Vix sine illo ulla fieri posset secretio; vasa siquidem distinguit, necit, ordinat, in glomerem & infinitas figuras ducit, quæ alioquin rectam sequerentur lineam: hoc si resces, glandularum, organorum secernentium, & excernentium apparatus destrui videbis, simulque collabi varia quæ bili, spermati, urinæ, &c. dicantur receptacula. Deindè mollis adeps, per arteriarum venarumque poros, ut & alii humores serosi, pingues, in cellulas exsudans partes lubricat, frictiones minuit, ab ariditate præservat & frigore; ex omento porro, mesocolo & mesenterio redux præcipuam facit secernendæ bilis materiam. Præterea in sanguinem resorptus acre temperat, æquabilitatem conciliat, simul & partes spirituosas sanguinis humorumque minùs dissipabiles reddit, & maximæ utilitatis est in exercitiis diù continuatis & inedia. Cellulares cerebri & cerebelli adipem non recipere, maxime consentaneum naturæ; siquidem hæc sapienti cautione, in nobilissimis visceribus, compressionis ex hæc parte, periculum amovetur. Cœterum in fœtu cellulosæ loco gelatinam esse, oleosam lympham in ossibus, pinguedinem paucissimam; hanc copiosiore esse fœminis quàm viris compertum est: hominì fluidam esse, ut in brutis solet, concreescere, nisi post mortem. Medulla verò, tenuissimo quo intimè penetrantur ossa oleo, solidissimis hisce partibus cum levitate firmitatem conciliat, ut ex analysi chemicâ constat, fragilitatem arcet, & liquido mixta *mucaginoso* æturgiam facit, quâ articuli lubricantur. Liquoris autem subpinguis ope & subtilissimi in cellulas perspirabilis vapore, fibræ & membranæ à concretione præservantur. Tandem humor mucosus in cellulis tanquam in promptuario asservatus hinc quaquaversum meabilis toti corpori in alimentum cedit, & variè concretus partium solidarum molèm auget. Nutritionem enim & incrementum in partium interstitiis, adeoque in celluloso textu magis quàm intra vasa fieri, multa sunt quæ suadeant. Motui porro quo pinguedo aliique humores in cellulis etsi tardissimè circumferuntur, fibræ carnear, tendineæ, membranæque validæ hic sparsim interstitæ famulantur, ut & ambientium actio, præsertim muscutorum & arteriarum. In hoc autem texto ab egregiis * Viris haud ita pridem accuratè descripto, morbos, & morborum mu-

* Imprimis nominandi Marcell. Malpigh. de Omento & Adipe. Lewenhoeck in experim. & contemplat. Epist. Physiolog. pass. Freder. Ruysch. Epist. 1. Adversar. Decad. II, & Thesaur. Anatom. pass. Herman. Boerhav. Instit. Med. de Omento, Cute & præfat. Aposidiac. Jacob Douglas de Periton. Joann. Bapt. Morgagni in advers. Anatom. II. Animadv. V & VI. Advers. III, Animadv. II. Noster Benign. Winslow Exposit. Anatom. Traité du Bas-ventre, des Tegumens, &c. Abrah. Kaw Perspir. Hippocr. cap. XXXIII, & pass. Wyer. Gulielm. Muys muscutorum artificiosa fabrica pass. Bernard. Siegf. Albin. in Histor. muscul. homin. p. 8 & seq. Academ. Annotationib. lib. II, cap. VII; lib. III, cap. I & X; lib. IV, cap. VIII, & pass. Albert. v. Haller in Notis Instit. Boerh. prim. Lin. Physiol. cap. I, II. Elementa Physiologiæ lib. I, sect. II-IV; Virsummus, de Re Medicâ, indefessis laboribus optimè meritis, cum quo nunquam etsi aspectu, sed per Litteras frequenter per 27 annos, me collocutum esse juvat meminisse.

rationes sæpius fieri arguunt, tum ipsius fibrosæ compagis quantitas, tum cellularum mutuo inter se patentium numerus, quibus materia morbifica quæcumque contineri, foveri, & undè è loco in locum moveri possit.

I I.

MORBI siquidem vel cum materiâ fiunt, vel sine materiâ; hos rariores, frequentiores alios existimandum. Primi pendent à mutatis quantitate, loco, proprietatibus humoris cujuscunque, vel à materiâ noxiâ extrinsecus adveniente. Alii in solidorum vitiis potissimum consistunt, ad quæ tensio, crassities, &c. auctæ minutæ ve referuntur, præcipue in nervorum læso statu, sæpius difficillimè definiendo. Morbi autem qui cum materiâ fiunt præ aliis varias mutationes subeunt. Vel priore cessante morbo novus exoritur, vel remanenti nova & gravissima superadduntur symptomata: vel ex diuturno acutus fit, ex acuto longus, ex levi gravissimus & è contrario. Quæ quidem mutationes à variâ materiæ morbificæ indole & alteratione pendent, sed potissimum à mutato ipsiusmet loco; inde crisis, lysis, diadoche, metastasis. Legibus mechanicis, inter quas chemicæ & physicæ comprehendendi debent, regitur corpus humanum, his exceptis quæ ad mentem spectant. Has verò leges, observatione detegendas, cum ex Divinâ geometriâ emanent, machinas arte nostrâ factas ab animatis corporibus tantum superari patet, quantum finita intelligentia distat ab infinitâ. Cum etiam morbi corporis mechanicè eveniant, necessum est pariter morborum mutationes mechanicè fieri. Principium enim internum, ferme incorporeum excogitatum, quod naturæ vulgari & tam decantato nomine, morbos amoveat, solvat, permutet, admittere non sinit motus erronei, inutiles, noxii adeò sæpè in morbis observati. Sed omnia eò redeunt, ut leges & structura quibus initio corpus humanum creditum fuit, vigeant etiam in statu morbofo, effectusque suos edant, constantes quidem, sed promiscuè pro re natâ inutiles, salutares, noxiosve. Sic ex sapientissimo alioquin consilio, quo stimulus in solidum vivum agens, humores ad partem irritatam dirigit (ut quodcumque lædit, vel demulceatur vel expellatur) motus sæpè irregulares cidentur, functiones turbantur; adeo ut affluentibus humoribus pars turgens, opprimatur, crebro inflammetur & sphacelo pereat. Sic febres quæ à primariis causis alterni motus cordis ut effectus secundarii fluunt, utiles quidem sunt si humores visceri & ad acidum vergant, noxiæ verò si jam nimis soluti sint & acres. Sic & hæmorrhoides non ex consulto, sed mechanicâ necessitate eveniunt, cum in earum formationem multa concurrant, quæ aliò primitus spectabant: inde per se semper noxiæ, fortuito utiles sunt. Nec etiam febres, hæmorrhoides, vomitus & alia hujusce modi eo tempore quo maxime utiles essent perpetuo eveniunt, sed sæpius quo abesse magis optandum esset. Quæ igitur in statu morbofo accidunt ea tanquam systematis aliunde pulcherrimè conditi incommoda videri debent. Inde verissimum illud Asclepiadis (1) effatum, naturam non solum prædesse sed etiam nocere. Itaque, si conservatrices, medicatrices naturæ vires sunt, eandem etiam deletrices; & medendi peritus naturæ non tantum minister, sed dux etiam & corrector dicendus. Igitur per textum cellulosum varix fiunt in morbis mutationes quæ

(1) Ap. Cæl. Aurelian. p. 45, edent. Amman.

non magis ad prosperas, quàm adversas res ægrotantis, sed promiscuè ad alterutras vergunt. Consensus verò partium, quo omnia systemata, foedere amico & necessario junguntur, causa præcipua in nervis, dein in vasis membranisque posita, quæ communione, situ, vicinâ, similitudine fabricæ, commercium universum alunt. Recidivæ autem morborum gravibus graviores, vel à solidis diversimodè, speciatim tono vitatis, pendent; vel à materiâ nondum satis subacta, ejecta, vel adventitia; præsertim dum morâ, stagnatione pejor fit, & tandem explicita novas excitat iragoedias. Harum scenam vel fomitem in celluloso textu frequentem esse, haud temerè judicabis.

I I I.

PORRO ut incipiamus à texti cellulosi morbis qui cum materiâ fiunt; pinguedo si nimium augefcit, partes comprimit, fibras relaxat, vasa angustiora reddit, cordi obices ponit, motum & sensum animale tardat & minuit, varias lædit functiones (1). Et adeò aliquandò in toto corpore crevisse visa est, ut inde corpus immobile ferè redderetur, & artuum muscoli, cor ipsum & alii musculi cavi, ad simplicis membranæ tenuitatem redacti, deficere prorsus viderentur; ossa interea exilia quasi foetuum essent, dum partium mollium in immensum moles cresceret: adeò cellulosa membrana dilatare apta est, partium vel solidissimarum detrimento! Inde aliquando corporis humani pondus ad 500 & 600 libras; sæpius cum vitæ breviori: quæ prodigia apud Anglos minus insolita videntur. Nunquam concretiones adiposæ amplæ, per morbum, Medici palpantis manibus, quasi obstructions visceris alicujus abdominalis sese objiciunt; & in cadavere corpus ferè extraneum repræsentant. Sic in puero nigrita omentum vultum, sebo induratum, cylindraceum, adeoque densum, secando invenimus. Fit etiam ut pinguedo ubique luxurians, liquidis mixta circulantibus, variis in cavis deponatur; si in corde in frustra majora post mortem reperta concreseat, obstaculo insuperabili sit cordi, vasisque magnis, ideoque subito (2) interimat. Rarior & minus læthalis casus, ubi vena cava, loco sanguinis, adiposâ substantiâ repleta, arteriam magnam comprimit, pulsumque singularem & vehementissimum excitat (3), ac simul varias ciet turbas. Quod ad musculorum tenuitatem, pallorem & quasi absentiam facit pinguedinis excelsus, idem ferè aliquando ejusdem defectus. Pinguedinis verò excretæ, inflammabilis, stercoribus, urinis incumbens, sine vel cum febre, sine macie, latitante tamen in abdomine, occulto calore exempla (4) non defunt. Frequentius autem in obesæ mulieribus, quadragenariis, aut senio proximis, pingues, oleosæ excretiones, copiosæ, non si è præsentis aut futuri ascitis metu. Medulla verò quæ in cellulari ossium rarè abundat, aliquandò omninò deest ex inedia, morbis longioribus, senio, exercitiis vehementioribus, undè facilius ea franguntur: dum verò corrumpitur, pædarcocace, dirique ossium morbi oriuntur. Articulorum porrò axungia si augefcit, ossa è sede suâ faciliè dimoventur; si minuitur, aut concrefcit, strepitus fit, rigiditas, demum anchylosis. Obesitas non nimium redundans plethoram veram

(1) Boerrh. II Morb. Histor. Bonnet, Sepulchr. Anatomic. lib. II, Sect. I, obs. 46, 103; sect. II, obs. 16, 35, 46; lib. III, sect. I, obs. 7; sect. XXI, addit. obs. 20, 28.

(2) Hipp. Aphor. 44, sect. 21. Bontii Medicin. Ind. obs. 8.

(3) Bontius, ibid. observat. 5.

(4) Nicol. Tulpæ observat. lib. III, cap. 10-12.

nec necessario supponit, nec absolute rejicit, sed apparentem facile admittit. Quibus autem, intra sanitatis limites, cellulosa membrana in toto macilentae sunt, iis vasa sanguifera replentur; pulsus magnus, fortis, sensus exquisiti, motus promptissimi, acuti morbi; obesitas chronici frequentiores. Si texti spongiosi cellulae ferè omnino deplentur & exinaniantur, atrophica est, marasmus; vasis sanguiferis interea saepius satis plenis: cujus vitii genus cerebrum participasse haud, quod sciam, unquam visum; cum ejus cellularis substantia halitum subtilissimum, pinguedinem verò in statu sano, non admittat. Sinæ & Aegyptii dum obesitatem ambitiosius exquirunt, nostrates praesertim mulieres, gracilitatem nimiam affectant. Tuior est mediocritas, quàm, corpus nec crassum, nec tenue nimis, functionibus constanter obeundis sit aptissimum. Fibras longas, cum diametro, tum numero, in sexibus & constitutionibus diversis aequales esse alibi (1) ex Lewenhoeck. accepimus: quare differentias adeò enormes in crassissimis & gracilissimis corporibus, non à fibrâ ipsa, sed ejus tunica pendere conclusimus. Ceterum adipem ex morbo, ubicumque tela cellularis est, in scroto, pene, ovariiis, cerebro, &c. deponi, sectionibus constat. Præterea pinguedo citò & multum à propriâ indole abscedit, ut ex brutorum & hominum sectione edocemur. Præcipuum tinea subjectum est (2) in quâ instar feri liquidissimi diffuit. Putrida fit etiam, rancida: summus in cancro corruptionis gradus est; acre morbosum, virulentum, heterogeneum, quod semel suscepit, tenaciter retinet; nec ullum in corpore vitium novimus quo non infestetur. Indè lepræ variae, praesertim elephantiasis, lues venerea, plica Polonica, multi pilorum morbi & cutanei maximâ parte pendunt.

Si texti spongiosi cellulae aërem elasticum admittunt, fit emphysema: cujus frequentia in carnariis tibi exempla occurrunt; laniis in recens mactata animalia folle aërem adigere solitis, ut commodius & elegantius inde membra dissecant, & innocenti quidem artificio; quod etiam in fraudem adhibent mangones dum viva sic inflata pro saginatis & bene valentibus, aëremque pro carnibus vendunt. Hoc notum Plinio (3); sed & in Persiâ J. B. Tavernier (4) camelos vidit, mediante vulnuscule, prope caudam, subtiliter dein occludendo, piceque obtegendo, sic flatu, non sanitate turgidos. Emphysema itaque tumor est indolens, non difficile quidem cedens digitis, sed brevi rediens, sonitum reddens, & totius partis imminuens specificam gravitatem. Externæ causæ sunt animalium quorundam morsus, vulnus in quâcumque corporis parte inflictum cutim penetrans ad cellulas usque, si aëri semel admisso egressus prohibetur. Calore enim expanditur, per ambientes cellulas vias sibi facit; quâ arte mendici variis in corporis partibus tumores excitant. Saepius tamen empneumatosis producunt asperæ arteriæ, thoracis vulnera, dummodò angusta sint, tortuosa; levem quidem thoracis simplicia; horrendam visu si pulmōni ipsi vulnus leve, angustum inflictum sit: tunc humana perit figura, ac novo aëre perpetuò in omnes cellulas adactò homo quasi sepelitur. Visus est aër totum replevisse hominem, ad undecim pollicum altitudinem, exceptis plantâ pedum, volâ manuum, parte superiore capitis (5)

(1) Thesis: an præter genitalia sexus inter se discrepant? Affirma.

(2) Franc. Bayle, Probl. Med. Phys. 87.

(3) Hist. Nat. lib. VIII, sect. 58-70. Harduin.

(4) Voyag. Per. 1777, Tom. I, p. 119, in-4°.

(5) Littre. A. R. Scient. ann. 1713.

ipsâ etiam vitrei cellulosa, bullas aëris in sectione emittente. Haud absimile exemplum, simul & intestina aëris vi, ferè omnia in scrotum depulsa, sed intra paucas horas lethale vidit Gaspar à Reies (1). Nec tamen ut emphysema fiat, vulnus externum semper requiritur, cum ex fractis costis illasâ cute (2), ex clamore magno (3), ex lapsu alto in mare, sine vulnere & contusione (4), ex ulcere & adhæsione pulmonum cum musculis intercostalibus, ex discisso œsophago (5), illud nasci compertum sit. Emphysema prudenti arte factum torositati viam præbere, si quidem telam cellularem, in macilentis strictiorem, leniter dilatat, non improbabile. Nigritis contrâ morbos, præsertim rheumaticos in usu est: innocuum remedium, si vitalis aër adhibetur. Animalibus multis aërem, sic dictum fixum, satis indifferentem; inflammabilem, non toxicum esse, ejusque in celluloso textu indolem brevi amittendam; nitrosum lethalem esse, clarissimi viri (6) tentaminibus invenerunt. Intus porro humores in cavâ effusi, putrescentes aërem extricando elasticum reddunt, sic docente Chemiâ & insuper submersorum exemplo quorum cadavera, ubi putruerint, supernatant. Aërem porro in corpore augment, vel sensibus obviū reddunt flatulenti cibi, potus fermentans, vires imminutæ præsertim concoctrices, suppressa perspiratio, venena plurima, febres nonnullæ, fuctio, atmosphæra specificè levior. Hinc nullæ in corpore cellulares sunt quæ non peculiari empneumatosi aliquandò laborent, ut aliundè symptomatis constet & sectionibus. De flatibus intrâ vasa obiter notamus. Aërem loco sanguinis, post hæmorrhagias ingentes, inveniri jam monuisse Littrium (7); hominem maximâ laborantem anxietate, liberatum fuisse, cum aër ex tusâ venâ cum sibilo prorupisset: nos verò flatulentum flatum in universo corpore, sanguinis ferè omnimodam privationem observasse post copiosas ejectiones pici liquidæ colore & consistentiâ haud absimiles, & in sacerdote qui diu purgante resinoso (8) usus fuerat. Inter viscera lien, quimaximè cellulosus est, magis flatibus frequenter distenditur & aliquando (9) rumpitur; sicut & uterus in partu difficiliore. In cadaveribus, dum corrumpi incipiunt, penem aliquandò arrigi, quod imperitis sæpè prodigio fuit, ex supradictis etiam faciliè intelligitur; tum & vivo homini cavernosa corpora flatulentotalitu distendi posse; hypochondriacis præsertim, adeò iucertæ, vel noxiæ Veneris vanâ specie, sic aliquandò miserè deceptis.

Deindè aquæ intercutis vera sedes textum cellulosum est: siquidem aqua intercus & locophlegmatias loca (10) *inania* occupant & quæcumque in aliis *vacua* sunt in hujusmodi ægrotis opplentur. Vide, experimento facili, quum avide cellulares tenuiores in cadaveribus aquam ebibant! Similiter & in vivo corpore. Aquæ igitur intercutes pleræque ab iliis (11), & à lumbis incipiunt, cum

(1) Elysius jucundat. quæstion. campus. quæstio 95.

(2) Littr. A. R. Scient. ann. 1713.

(3) Gastaldi, dans le Journ. des Savans, 1718, p. 24, in-4°.

(4) Rouppé, de morbis Navigant. p. 46.

(5) Boerhav. prima morbi Histor.

(6) Achard & Gallandat. Jour. de Physique, ann. 1779, p. 229. 1785, p. 244-54.

(7) Hist. de l'Acad. Royale des Sciences, 1704, p. 30.

(8) Journ. de Médecine, Tom. VIII, p. 429.

(9) Tulpius, lib. 2, cap. 29.

(10) Aretæus de diuturn. morb. lib. II, cap. I.

(11) Hippocr. prænot. sect. 3.

nullibi cellulosa copiosior adfit: mox exterius scrotum & palpebræ tument; quòd in his cellulares pinguedine vacuæ sint: pedes, brachia deindè, collum, facies tumescunt, genæ levissimo motu indecore tremunt, totumque corpus fero impletur, ne quidem exceptis corporibus cavernosis penis. Indè ægris simul inest pallor, spirationis difficultas, tussis; indè etiam segnes, pigri sunt & effœminati, difficillimè sudant & à cibi mole exiguâ multum inflantur. Vola manuum, & planta pedum, quæ aëris aditum reculant, aquam haud difficilè admittunt: avidissimè partes quæ telam cellularem, quasi spongiam habent: verùm stagnatio feri sic ita sponte efficit, quòd in administrationibus anatomicis longa maceratio; scilicet, ut densissimæ membranæ in ultima ferè elementa resolvantur. Mortuorum autem frequens sectio ostendit cellulares omnes laxatas, aquâ madefcentes. Morbum producant varia cum continentium, tum contentorum vitia, lymphaticorum obstruètio, quæcumque accessum liquidi in cellulas promovent, recessum verò prohibent, venena, sanguinis jacturæ insignes, copiosus frigida potus, præsertim noctu, pravus cibus, atmosphæra humida & frigidior, habitatio parum lucida, vita deses. Cæterum nonnunquam & exiguâ in parte homo aquam intercutem patitur, in capite, pulmone solo (1) aut jecinore, aut liene: sed omnium frequentissimè in ovariis, testibus, omento, mesenterio, inter musculos abdominis & peritonæum & in omnibus peritonæi duplicaturis. Quàm varii indè oriuntur effectus! Hinc ligamenta hepatis laxata infrà costas deciduum palpanti offerunt viscus alioquin sanum. Hinc ventriculus, lien (2), uterus, &c. sedè suâ naturali relicta, varia hypogastrii loca occupant. Hinc membranæ intestinorum, vesicæ urinæ, fellis, multo crassiores fiunt & cavitates angustantur. Duodenum præsertim cum copiosiori conflatur cellulosâ, flatibus vel aquâ turgidum varias facit ægritudines, quæ ventriculi, hepatis, pancreatis, morbis malè adscribuntur. Herniarum multa genera huc quoque pertinent. Sic etiam dùm cornea oculi, tympani membrana fero madescunt, visus, auditus minuuntur, &c. Cacoehymia est anasarca incipiens; oedema hydrops cellularum cujusque partis. Acrimoniam sæpè conjunctam habet aqua; cum salinum quodvis retineat facilè, dimittat ægerrimè: serosos indè morbos diræ aliquandò comitantur convulsiones.

Leucophlegmatia, anasarca, vel pituitæ congeries, non adeò dissimilia producit: ex materie tamen tenaciori, densiori, tumores digitis longè minùs cedentes. Qui mucosus humor, dum principatum obtinet, pituitosam, aliàs phlegmaticam temperiem constituit. Si sola abundantia peccat, morbos adipis copiosioris congeneres efficit. Leucophlegmatici tamen, mere pinguioribus aut serosis, somnolenti magis & inertes, constantiores animo, cum pulsibus arteriarum lentis, raris, sed evidentioribus. Quæ constitutio, benè morigerata sæpiùs ad longævitatē ducit; etsi generandis & fovendis vermibus, in junioribus, & efformandis calculis, in omni ætate, aptior sit. Præterea, si phlegma exercitiis, animi pathematibus, febre, epidemiâ movetur, varios infarctus mucosos, dysenterias & alvi fluxus sui generis, pulmonum, ventriculi, intestinorum, &c. articulorum præsertim morbos procreat, frequentius lentos, sæpiùsque, per longa intervalla, mitioris ex se indolis, servato caractere: magis tamen quam pinguis & serosa temperies inflammationis particeps fit. Ut plurimum, sectiones ostendunt partes solidas, quæ hoc humore turgent, tremulas, veluti gummosas, translucidas, adipi gelatinam substitutam.

(1) Aretæus de diuturn. morb. lib. II, cap. I.

(2) Ballon. Epidem. Ver, & principium Æstatis, ann. 1578. Ruisch. Observat. Anatom. Chirurg. obs. 62. B. S. Albin. Academ. Annotat. lib. VII, cap. XIV.

In obefis hydropem latitare, pituitam abundantiorē in aquas refolvi frequens obfervatio docuit. Sapienter igitur dixit divus Senex : « Leucophlegmatiae hydrops » fupervenit. » Quare , ut magni vitentur errores , & antequam morbus invaluerit (utpote tunc difficile fanandus) diligenter circumfpectenda omnia, temperamentum, caufae antecedentes; fimul & fignorum faciēda collatio. Rem aliquamdiu obfcuram fæpè vidimus; fed tandem tumores externi lucem afferunt, quid intus lateat & quā viâ fit incēdendum monftrant. Cellulares internae, commercio innato cum exterioribus (de quo diximus Sect. I) inflari vix poffunt, quin & hae etiam diftendantur. Primò vitium contrahunt membranæ; tandem fenfim cavitates magnæ humorem liquatum accipiunt. Sedem intra calvariam hæere indicant, palpebrarum, genarum, labiorum tumefactio, cum pallore, vel ruboribus fugacibus, oculis languidis, inertibus, tenebrosis, dilatatis pupillis; pulfibus interea incertis, aliquandò febrilibus, nonnunquam inconfpicuis: adfunt & nervorum affectus varii, inter quos eminet fomnolentia; abfentibus aliis fymptomatum efficacibus caufis. Œdematis vel hydropis pectoris comes eft anhelatio, in carpis & manibus tumor; qui in afcite crura & pedes magis occupat. Ubi latus corporis magis internè afficitur, oedemata plerumque in eodem latere magis externè confpicua. Nonnunquam & tres ventres laborant fimul; tunc figna communia: tunc afcitem brevius curari, hydropem pulmonum difficilius, omnium difficillimum hydrocephalum internum experientiâ edocui fumus. Attamen vetulam vidimus, cum facie luridâ, labiis tumētibz, genisque prolābentibus, de fenfu ebullientis aquae in calvariae parte frequenter querulam: (rei itaque naturam explicabat Car. Pifo nofter, verbo ebullientis feri frequenter ufus) hancce, inquit, febribz diuturnis, fæpè vexatam, ex arte fervatam longos annos; nec nifi octogenariam, nobis abfentibus, periiffe. Coëterum, hydrocephalum internum ab ortu, longioris eſſe temporis, brevioris in infantibus ab ubere depulſis; hydropem pectoris ætate noſtrâ frequentiorē, fanationis patientem imò diuturnæ etiam in foeminis; fæpè in Comitibus Saluberrimæ Facultatis annotavimus.

Situs vaſorum in tunicâ cellulari, mollities eorum quæ præſertim per pinguedinofam ſerpunt, amplitudo ductuum adipoforum & facilis per eos ſanguinis admiſſio, cellularis vitia quibus neceſſariò vaſa infeſtantur, efficiunt ut externis internisque cauſis, in cellulofam, fæpè cruor effundatur. Indè Ecchymofis, anevryſma vulgò dictum ſpurium, varii nominis exanthemata rubra, purpurea, livida, nigra, &c. oriuntur, quæ ſede & naturâ ſimilia, nonnifi gradu differunt, & inflammationi proxima ſunt. Scorbuticis familiares & propriæ ſunt maculae cæruleæ, nigrae. His in locis cellulofa ſimili colore tingitur (1), cutisque craſſior invenitur. Sed & in delicatis mulieribus, ſine luis ſcorbuticæ evidenti præſentiâ, ſimiles minutas maculas, in extremitatibus præſertim ſponte natas fæpè obſervavimus. Indè duplex inflammationis genus forſan admittendum venit, pro duplici, quo ſanguis ducitur, errore loci: primum, in quo vaſa lymphatica, à cruore diſtendantur; alterum in quo, extra vaſa, adeoque in circumpoſitæ telæ interſtitiis, ſanguis deponitur. Prius cum altero fæpè conjungi ſuadet ratio: poſterius autem in omni inflammatione perpetuum eſſe demonſtrat autopſia & mortuorum ſectiones. Quis, in partibus inflammatis non vidit cellulofam ſubſtantiam mole & pondere auctam, duriorē, variegatam, putrilagine, ichore repletam, lividam, nigram, facile lacerabilem, variè degenerem pro ſede & gradu inflammationis?

(1) Rouppe de morb. Navigant. p. 154-157.

Porro cum errore loci, majorem arteriarum nervorumque vim intendi necesse est, ut fiat inflammatio; cum si in parte quavis placide & absque ignis sensu sanguis divagaretur, hanc suggillatam aut alio nomine, haud verò inflammata diceretur. Plegmone porro potissimum cellulares adiposæ, strictiores aliæ erysipelate afficiuntur. Inflammatio & suppuratio nusquam tenacius (1) hærent quàm in adipe. Hinc, sic observante clariss. Meckel in pericardio & in corde, cum hi morbi nascuntur membranam anteriorem potius occupant, quæ adipem admittit, quam ipsa musculi caro (2). Idem, cum in viro sexagenario, robusto, aortam fere integram, interiore parte ulcerosam & laceratam invenisset, tunicam nervosam seu internam, pene suppuratione destructam deprehendit, simul & flocculos cellulares, quibus adhærebat pus; fibras verò musculares arteriæ nudas & illæsas. Felices, quod obscuri, incogniti & vix curabiles, tales morbi, saltem sint rarissimi! Suppurationis externæ comitem se præbet œdema; sic & internè succedere facile judicamus.

Puri autem in cellulosa, ubique, etiam in cerebro fiendo, conducit maximè hujus membranæ indoles, quæ facile distendi, intumescere, ac dirumpi potest; tum argumento sent pinguedinis grumi ac cellularis frusta, quæ ex parte suppurante manifestè prorumpunt. Idem suadent puris proprietates; album enim, læve, tenax, subpingue, his dotibus maximè cum pinguedine convenit. Ex macerata in aqua pinguedine, ad putredinem usque, secedit ad fundum vasis (3) materies albicans, tenax, aquæ fundum petens, puri simillima. Theoriam hanc illustrat suppuratio in visceribus & glandulis tarda, difficilis, cum his paucæ, macilentæque cellulosa insint, nunquam laudabilior & citior quàm in musculosis & magis cellulosis partibus; jugis & vix cohibenda in omento, mesenterio, in lumbis. Advertas etiam puris depravationem in ichorem, saniem, ubi sanguis vel serum pinguedinis materiam aut æquat, aut superat. Multis aliis eadem hæc firmantur; scilicet lymphæ serumque motu inflammatorio coagulantur, nec proinde pus fieri possunt: tum humor subpinguis perpetuò in cellulosa depluit, undè puris copiosa productio etiam ubi sanguifera jam satis libera sunt, nec partis laborantis adeò magnæ jacturæ fiunt: deinde subpingues materiae à stagnatione, puri quid analogum exhibent, testantibus senum & infantum oculis. Inflammationi propriè dictæ partem sanguinis globulosam; erysipelati biliosam magis conferre; primæ suppurationem, secundæ gangrænâ vel metastasin familiorem esse notum est; cum materia acrior sit & mobilior: quare, erysipelati variæ morborum successiones quæ Clinici attentionem merentur. Pinguedo, per febres contrita, sanguini mixta vel ex eodem non secreta, materiam morbi implicitam sæpè trahens, jam cessante erethismo cum criticæ secretionibus adveniunt, per sedes, urinas, &c. deponitur, quam primo iuruitu sincerum pus existimares. Hinc adeò apud veteres exoptata concoctionis signa quæ puriformem materiam referunt. Ergo puris præcipua materies pinguedo est, & pars conservans, colligens, fovens pus coquens latèque aliquandò dispergens, cellulosa est. Hanc etiam gangrænæ sedem esse arguunt cum locus suppurationi & gangrænæ necessariò communis, tum magna panniculi adiposi frusta (4) quæ in gangrænâ secedunt. Ex putridâ materiâ, in celluloso

(1) Boerrhav. & Spectatissim. Commentator. Aphor. 374.

(2) Mémoires de l'Académie de Berlin 1756, obs. X & XIII.

(3) Grashuis, Dissert. de Pure, p. 25.

(4) Baro Wanswieten, ibid.

textu stagnante, vapor infestus emanat, undè syncops & mors. Sphacelus, quo interiora corporis præsertim consumuntur, tum skirrus eundem locum occupant: alia, quæ inflammationem sequuntur; callositas scilicet & per squammas exitus, illa quidem magis ad cellulares spectat, *squamatio* ad epidermidem. Nullam in inflammatione fieri legitimam curationem, resolutionem nempe, nisi cum deperditione substantiæ cellularis aut *exfoliatione* scripsit aliquis; auctor hic & alibi sinceræ observationi & Practicis contrarius.

Cum verò Cellulares nonnullæ unà cum pinguedine vel muco vitiatas indurantur, callescunt, varii tumores fiunt: grandines, seu tubercula indurata pinguedinis, clavi, ganglia, strumæ, vomicæ, atheromata, melicerides, steatomata: & tumores illi enormes cystici, hydropem mentientes vel etiam facientes, Cellulosas manifestè occupant; ut frequens observatio docuit, in peritonæi duplicaturis, omento, mesenterio, ovariis. Nec à supradictis minoribus tumoribus vix differre videntur hydatides, nisi quia in Cellulosis minus strictis, non induratis locum habent: quod suadere videntur ortus hydatidum, sicut & Cellularis substantiæ præsentia in quâcumque corporis parte interiori, imo in cerebro; harum sedes frequens in Cellularibus majoribus; materiæ contentæ indoles, quæ sæpius serosa varii coloris, aliquandò tamen densior, gelatinosa, pinguis, sebacea. Hydatides in atheromata, steatomata & melicerides degenerant (1). Num etiam ex lymphaticis vasis obstructis, variè dilatatis, à valvulâ ad valvulam, compressis, elongatis, & ex fabricâ glandulosâ degenerare ortum ducant hydatides, ulterius de re obscurâ disquirant qui anatomiae morbosæ, praxi medicæ utilissimæ operam dant. An aliquandò hydatides solo spiritu plenæ? Tumores ingentes à congerie hydatidum sacco inclusarum frequenter observati. Inde hydrops vesicularis (2) dictus. Cujus varietas summa, ex parte contenti humoris & continentis sacci, qui vesiculas habet rotundas, ovales, vermiculares, parvas & majores, separatas, alias aliis adhærentes cum vel sine pediculis, non foetidas. Demum materiam mucosam, in quâcumque cavitate depositam, huc illuc, dein agitatam, volutatam analogum quid, & quasi tertium genus hydatidum, efficere posse, non improbabile. Hoc vitii genus foeminis innuptis aut sterilibus frequentius esse satis constat; ut similem sibi cum non pariant, monstrosi quid alendum ipsis sæpè contingat. Morbum hunc, qui sæpius ob ovariis originem trahit, in foeminâ quam ex amici & Medici officio, persæpe invisebam, natum jam ex juventute, vidi viginti annis crescentem lentè, enormem, ita ut vix sufficiens locus pulmonibus relinqueretur. De se referebat ex sensu intimo, quæ de cadaveribus apertis narrant Scriptores practici; cœterum appetens, bene concoquens, hilaris: undè epigastrium & hypocondria mediantibus membranis robustissimis, libertatem multam servare conjectabam: tandem, febre diuturnâ, neglectâ, extincta fuit jam septuagenaria virgo, staturâ prægrandi, portentoso ventre, simul & morum honestate monstrabilis: sectionem corporis post obitum vivens interdixerat.

Porrò si in musculorum Cellularibus humor salino terreus deponitur, ut scorbuticis familiare est, musculi vario modo degeneres indurantur, sternomastoidei exemplo, undè caput obstipum redditur: si in nervorum Cellulari substantiâ calci similis, fit paralyfis, ex muscui solâ immobilitate: si in nervum, vera & propriè dicta paralyfis. Nervorum igitur plurimi morbi in celluloso textu, quo

(1) Ruisch. Observ. Anat. obs. 25. Auel, Relation d'une Maladie extraord. in-8°. Par. 1722.

(2) Tulpus, Observ. lib. II. cap. 34.

vestiuntur; sanissimâ remanente medullâ cerebri vel spinali. Hujus-ce integritatem ex legitimâ ossium conformatione conjicies; causam verò in membranâ hærare ex ipsius morbi parum constanti indole, & mutatione symptomatum. Si demùm in glandularum membranas tale vitium inducitur, loco naturalis fabricæ, infermem massam cartilagineam, tephaceam, materie pingui, ossæ, arenosâ, &c. variâ admodum repletam, sectiones exhibent.

Deindè si humoribus circumueuntibus aliqua insint vitia, his cellulorum textum sensim infici necesse est. In illo quidem perspirationis Sanctorianæ imminutæ suppressæve materies potissimum stabulatur; cum inter vasa cutis exhalantia, Cellulosæ telæ perspirantia, humoremque intus & extrâ perspirabilem maxima sit analogia. Cutis vitia, scabies, impetigines, &c. repercussa, acre rheumaticum, arthriticum, scorbuticum, varii excrementitii humores, ex organorum fecernentium morbis in sanguine retenti, bilis & urina potissimum huc etiam confluunt; cum si hæc crassa sint, cellulosæ poros ductusve adipfos faciliè penetrent, quippe satis amplos, si tenuiora alios tenuiores. Indè ferosâ colluviei (quidquid secum (1) deferat) sedes præcipua textum cellulorum est. Hoc morborum capacissimum quasi nidum esse omnia ergò suadent; quandoquidem cavitatum summam in systemate celluloso longè superare summam cavitatum Vasculosi, edocent in majoribus partibus prima inspectio, in minimis ars Ruyschiana. Vitia quæ nequeas in humoribus circumueuntibus sæpius perspicere, in cellulari manifesta sunt. Ab acri in fibrarum interstitia impacto humore irritatio & dolor potius quàm ab eodem in vasis contento. Acrem, heterogeneam, morbificam quamlibet materiam, quâ faciliè sese vasa extricant, cellulares accipiunt, retinent. Motus continuus, validus in vasculoso systemate omnia miscet, putredinem impedit: hanc juvant in celluloso calor lenis, stagnatio, locus dilationi aptissimus. Mirum quàm varia & multa vel ex naturâ vel ex morbo huc undique confluant! Aqua, sanguis, lympa, pus, ichor, sanies, mucus, pinguedo, humor subpinguis, perspirabilis, excrementitius, aer elasticus, uno verbo cujuscumque generis heterogenea. Paucis more suo cellulorum opus indigitavit antiquissimus Medicus (2) his verbis: « Quidquid non coaluit, sive pelliculâ, sive carne contegatur, cavum est. Impletur autem dum sanum est spiritu; dum ægrotat ichore ».

Alia cellulosæ fabricæ vitia sunt quæ ad ipsius solidum magis spectant. Quippe vel stricta, vel relaxata nimis est, tenuior, mollior, gracilior etiam, vel crassior & durior: quæ similia vitia in fibras longas, vasa, viscera, in cellulari quasi natantia & immersa necessariò inducunt. Vix ullum in visceribus vitium sectiones usquàm monstravere, quin simul cellulosâ, amplâ, duriori, crassâ, miro modo degenerare vestita & inclusa reperta sunt. Præterea partium inter se præter naturam connexiones cellularis vitio plerumque contingunt, quæ nempe vel abest, ex suppuratione; vel defectu liquidi, dura callosa redditur indeque non perspirabilis; vel etiam ex muco in fila ductili, morbosè efformata varias partes implicat & necit. Hæc inflammationis plerumque malè judicatæ soboles sunt, quâ incrassari membranas, novæque generari cellulosas frequenti autopsiâ, compertum est: imò arte fieri membranas satis notum. Hinc pulmones & pleura,

(1) Car. Pison. de ferosâ Colluvie, p. 7, edit. Leydens.

(2) Liber. de arte Med. sect. 17. Vanderlinden.

peritonæum & varia abdominis viscera, cutis & musculi, hi inter se, &c. efflorescentibus fibris, vel concreto muco quasi glutine coherant, haud cum levi incommodo; exinde enim dolor, motus functionumque læsio sequuntur. Cellulare autem textum ampliari, luxuriari aliquandò, varièque produci indicant ulcerum fungi, hyperfarcosès, carunculæ, narium & uteri polypi. Hoc polypi nomine admonitus, haud abs re memorabo animalcula illa per sectiones multiplicari, jam ab antiquis visa, sed a recentioribus (1) diligentius observata; quod prodigium nonnisi in cellularem substantiam quâ merè compingi videntur referendum esse, peritiores existimant.

Postremò tandem vitæ decursu sensim durior in senibus, cellulosa callescit, cornea & ferè ossæ fit: accuratiùs loquendo lithiasi laborat. Nam morbi ficæ hæ concreciones, nusquam fibrarum structuram, nec periosteum exhibent; sed portiunculas quasdam, quasi grana dura, terrea, hinc inde seorsim formatas, intrâ varias partes molles, sectione, tactu ipso detegendas, nullo servato ordine. Hæ particulæ, igni injectæ nec inflammantur ut ossa; nec odorem empyreumaticum (2) spargunt ideoque medulla carent. Levis sæpius hæ lapidicina, monstròse tamen crescit in glandulis aliquandò, broncoceles exemplo, in aliarum Alpium incolis. Calculosa Pinealis glandula, non adeò rara, præterito seculo jam objiciebatur contrâ ingeniosissimi Cartesii hypothefin. Arteriam aortam, corda humana, lapideâ consistentiâ, haud faciliè inde cremanda, præsertim in viris animosis, etiam in celeberrimâ viragine Joann. d'Arc, narrant Historici & Medici. Lapidescere nonnullas cellulosas portiones in arteriis magnis, in intestinis & mollioribus musculis, ubique ferè, norunt ipsi anatomicæ scientiæ tirones. Sed & fabulis lapidibusque minutis cellulares cerebri, omènti, tenerrimas quascumque infarciri aliquandò, vel principii terrei abundantia, vel motus vitalis imminutione, non infrequens (3) casus edocuit. Has demùm concreciones in cellulari fieri demonstrant earum situs, lamellæ quas exhibent, ut & ossium in fœtibus per medium quid cellulosum formatio.

I V.

JAM ex materiâ morbificâ quâcumque in cellulari texto contentâ, nulla est, quæ per illud ambulare, progredi, mutareque locum non possit, siquidem continuam unam (Sect. I.) efficit cavitatem. Halitum vel vaporem qui cava implet internè in aquam resolvi, moveri, sicut & in atmosphera vapor ex terris surgens & aquis, intelligimus. Visus est anasarca hydrops per omnes cellulas ire, redireque, modò manus, faciem, oculos, modò extremitates inferiores, testiculos & abdomen vicissim replere, inflareque: sic œdemata alicubi desinentia alibi mox apparent. Serosa profectò colluvies huc illuc moveri; impellique (4) proclivis est, adeòque irruere per vices in cellulosas omnes, usque dum tandem ejusdem fiat collectio. Sic etiam aer simul ac à causis internis extricatur, per cellulas vagans dolores, tensionem producit, inflammationem ludit, reverà tantum flatus; quos equidem ab inflammatione distinguunt artis prudentes, quia febris, vel

(1) Mémoires pour servir à l'Histoire des Polypes, par M. Trembley. Paris, 1734.

(2) Buddeus, in Miscellan. Berolinensib. T. V, pars 2, N°. 1. Meckel, Acad. de Berlin, ann. 1754, p. 95-108. Ann. 1755, p. 58.

(3) Albert. v. Haller. Opusc. Patholog. observ. 47.

(4) Car. Pison. ibid. pag. 6.

nulla, vel admodum parva est, & subindè mutant locum. Flatus ex arteriis venisque in cellulosas, ex his vicissim in vasa ire redireque observatione edocemur. Flatus in coitu emissos notat antiquior (1) Medicus; etiam sine coitu, cum vel sine urinâ recentior (2); sed & ex utero flatus erupisse, aliquandò, absque copulatione, ex ipsis histericis ægrotantibus accepimus. Vidi Parisi s juvenem Coriarium Tûronensem adeò flatibus turgidum, ut non modò, singulis loquendo phrasibus, sed etiam ex motu, vel frictione minimâ in quavis corporis parte factâ, in ructus continuò erumperet; systemate celluloso spiritum qui perpetuò renasceretur, sic indefinenter eructante: qui morbus annum integrum & ultrâ perstans, purgantibus, roborantibus, variisque exercitiis feliciter sanatus est. Puri autem si natura, vel ars non inveniat exitum, viam sibi facit per cellulas vicinas, sensim progreditur & serpit; indè nisi omne in sanguinem resorbeatur, ulcera, sinus, fistulæ, quibus illæsi muscoli quasi arte diffcantur: indè partes, longo tractu purulentæ fiunt, adeò ut in abditissimo quod remotum est extremo mali principium aliquandò sit. exitus in altero quod manifestum est. At si purulentæ metastases fiant, rectè conjicias huc potissimum iri materiam, ubi declivis, amplior & pinguior cellularis est. Hinc circa lumbos, ad inguina, & exindè in fasciæ latæ membranam, in axillas, circa parotides adeò frequentes metastases. Hinc inter viscera, cæteris aliundè paribus, pus alibi confectum, facilius accipiunt omentum, mesenterium, hepar; quippè textu celluloso, ubi materia pinguior puri affinis abundat, præ aliis luxuriant, ac præterea in his lentior est humorum motus. Serosas & acres materias potissimum accipiunt cellulosæ quæ non pinguedinem, sed tenuissimum perspirabile tantum habent: indè pulmo præ aliis visceribus iis maxime infestatur. Haud aliâ viâ quàm per cellulosum textum gangræna, sphacelus, teterimusque cancer diffunduntur, serpunt, vires acquirunteundo, & tandem organa vitalia destruunt. Tanta damna vix compensat cellulosa tunica cum laminas solidumque suppeditat, undè membrana fiat dura, callosa, quæ nec sentire, nec perspirare videtur, cicatrix vulgò dicta; cum etiam in luxatis, naturalium ligamentorum vices supplet, & herniis restitutis firmitudinem conciliat. Glandulæ lymphaticæ, simplices, sanæ, morbosæ, aliquandiù in cellulosa identidem in vicinia vagantur.

Varios artuum lymphaticos tumores, solum sanantur, ad vicinas cellulosas longè latèque diffluere, notum est, materiâ morbi mobiliore jam factâ: sic etiam in viro Principe durissimum tumorem in regione umbilici, ex atroci Madritensium colico dolore (qui colicæ Pictonum adfinis est) malè curato, ortum vidi; qui legitimâ adhibitâ methodo undequaque per cellulares abdominis diffundebatur, brevi dissilendus. Multò magis perambulant pediculi, vermiculi, variæ figuræ & magnitudinis, qui cum in regionibus calidioribus, tum in Septentrione frequentes, ut cavitates amant, in telâ subcutaneâ observantur, præsertim apud pueros (3); undè vigiliæ, miræ anxietates, tabes. Dracunculus, quem nervum Medinensem vocat Avicenna (4), lumbricis similis, eandem sedem occupat, & immensæ aliquandò longitudinis, per cellulas in gyros convolvitur & manifestè (5) moveitur: non adeò magnum inferens tamen periculum & dolorem; quod animal-

(1) Epid. lib. VI, sect. 3.

(2) Thom. Barthol. Aſtor Medicor. Tom. I, obf. 102. Tom. 21, obf. 44. Tom. 112, obf. 40.

(3) Velschius de Vermib. capillat. infantum.

(4) Fen. 3, Tracta. 2, capitib. 21, 22.

(5) P. Ægin. lib. IV, c. 59. Actr., Tetr. Serm. II, c. 85.

culi genus populis climatum meridionalium communius; præcipuè in pedibus & in Nigritis conspicuum, & cum tumor adest lenitè extrahendum, rarissimè apud nos natum, sed aliquandò ab ægris in Europam transportatum, nonnisi in brutis observatur.

Quid si corpora durissima, metalla ipsa per cellulosas moventur? Glandes plumbeæ, sclopeto in carnes adactæ, primò hærent, deindè per cellulares ambulat, usque dum cavum sibi invenerint aut fecerint. Acus, aciculæ, alia quævis vel deglutita, vel casu cuti infixæ, si diù in corpore manent, varia peragrant loca: vix dolorem creant, qaandò per cellulas ampliores iter faciunt & prodeunt. Quantò infelicius, si viscus sit permeandum, si temperamentum mobile! tunc enim modo cruciatus magnus, febris, suppuratio, mors (1) aliquando sequuntur. Sæpè tamen varia hæc, inexpectata, vario modo è corpore, & si metallica sunt, vel æruginè infecta, vel crustâ lapideâ obducta, innocuè satis exeunt. Nullus ergo dubitationi locus superest, quin materiæ morbificæ quæcumque per texti cellulosi ambitum eant, progrediantur, & aliquandò rapidè satis moveantur: nec tamen indiscriminatim per cellulosas omnes huc illuc ire redireque illas existimandum est; sed, ut jam innuimus, congeneres telas affectare magis videntur: sic ex adiposâ in adiposam potius progrediuntur, ex musculari in muscularem, rheumatismi frequentiore exemplo, ex strictiori in strictiorem, ex cellulari nervo in aliam nerveam. Hinc typi morborum aliquandiu servantur. Morborum cum materiâ qui nervos afficiunt miras facies, dum perperam spiritibus adscribuntur, à nervorum tunica cellulari potissimum pendere etiam diximus. Ros tenuis quo hæc perpetuò madet suos certissimè morbos habet, ut abundè constat sectionibus. Totum convelli genus nervosum ab irritatis gangliis, certa docuerunt experimenta; at ganglia textu celluloso strictiori maxime componuntur. Hæc porro in hystericiis & hypocondriacis sæpius (2) mole aucta & hydatidibus obsessa reperiuntur. Deindè opticus nervus, in quo *cellulositas* longè quàm in aliis nervis manifestior est, facilius inde præ aliis affici videtur, ut docent vertigo, resolutio frequens, variæ obstructions & lapideæ (3) concretiones hic observatæ. Verosimilius ergò in nervorum morbis frequenter peccat textum cellulosum. Jam si materia morbifica tenuis quam fovet, huc illuc per varios cerebri anfractus movetur, si è cerebro in medullam spinalem propellitur, & hinc inde per ganglia è nervo in nervum, è plexu in plexum divagatur; quàm mira, quàm varia prodeunt symptomata! totus homo immutatur.

Materiæ virulentæ, imprimis si lentè corpus afficiunt, præcipuam in cellulosa sedem etiam habent, & huc illuc serpunt, & ad remotissima quæque perveniunt. Admittunt illas pori in quacumque corporis parte in cellulosa hiantes; tum earumdem actioni favent motus in cellulis tardissimus, atque liquidorum in his varia indoles, quibus, sive pingui, sive aquoso, sive mucoso pro majori affinitate, adhærere possit tabum virulentum. Sic à contactu intimiori venerea lues per cellulosum textum ubique (4) per corpus disseminatur, & pinguibus humoribus con-

(1) Anton. Beniven. de abditis morborum causis, cap. 20. Rembert. Dôdonæi observ. exempla. Colon. 1581, p. 200. Gaspar à Reies c. quæst. 92. Langii Epist. Medicin. lib. II. Epist. 13. Th. Barthol. Aët. Med. Vol. III, Observ. 72. Journ. des Savans, année 1685, p. 299, in-4°. 1691, p. 151, &c.

(2) Lancis. Dissert. de gangl. nervor.

(3) Blegny Zodiac. ann. 1679. April.

(4) Boerh. de Lue Aphrodis. Joh. Astruc. de Lue Vener. lib. IV, c. 2. & T. II, p. 1072.

fociari amat. Venenatorum miasmatur, quæ per ictum vel morsum corpori communicantur, in celluloso systemate maxima pars vires suas exerit, ut vulneratæ partis subita inflatio ostendit. Equus biduo extinctus (à mure araneo in dextro postico pede demorsum dicebant) cum coram nobis secaretur, exhibebat cellulosas omnes dextri lateris, à pede ad cervicem usque per seriem decreascentem fero flavo turgidas, sparsim suggillatas, flaccidos indè musculos, pulmonem dextrum maculis nigris oblitum, auriculam cordis dextram flavam, feroque repletam, sanissimis interea musculis, pulmone & auriculâ sinistris.

Quædam in morbis mutationes accidunt, quæ ad vasculosum & cellulofum systema simul pertinent. Longi morbi in celluloso potissimum sedem habent; siquidem omnia hîc lentè moventur; acuti præsertim in vasculoso ob motus velocitatem. Porro systema utrumque mutuum sibi aditum præbet per vasa in cellulofam hiantia, & proindè vasa & cellulæ invicem dant & accipiunt: reciproca hâc actione morbi accedunt, abscedunt, redeunt. Itaque, si in acutis, tempore dato, cellulofum systema plûs materiæ morbificæ accipit quam reddit, morbus quasi silet, chronicus fit; si, alio tempore dato, vasculosum plûs absorbet quàm exhalat, morbus recrudescit, acutumque typum resumit. Metaptoses autem vel metastases lentas ad cellularem textum, rapidas satis ad vasa, subtilissimas, & ferè noctu oculi factas ad nervos, quasi fulmine vel electricitate percitos, referendas esse, conjicere fas est. Certè si perpetuò in cellulosis solis vitia residerent, vix acuti morbi forent & febres; si in solis vasis, vix diurni aut intermittentes. Materiæ morbificæ receptacula necessariò (1) adesse docent morborum historiarum. Hæc autem spongiosi textu cellulas sæpius esse quàm vulgò creditur facilè ex antedictis concludes. Cum itaque constet materiam morbificam quamcumque variè in corpore per textum cellulofum moveri, jam hâc ratione in morbis fieri mutationes (Sect. II) probavimus. Undè patet ab unâ eademque morbificâ causâ varios morbos variis pro parte affectâ symptomatis se prodentes fieri; qui reverà unus idemque primitus sit morbus. « Morborum omnium (2) unus & idem modus » est, locus verò ipse eorum differentiam facit. »

V.

VIDEMUS igitur quot & quantas in morbis partes agat textum cellulofum, sæpius tamen, ut ita dicam, *passivè*: sensu & proprio motu ex se privari superius (Sect. I) monuimus; indè totum corpus consentire & conspirare, sine incommodo, potest. Alias proprietates, nomine etiam mutato, huic textu tribuit unus è neotericis, qui circulationis Harveianæ ferè osor, multus in admiratione Helmontii, at cœvorum frequens contemptor & paradoxorum amans, incerta, falsa veris, obscura claris miscendo, artis promovendæ minis sollicitus visus est, dummodò apud idiotas & magnates fidem & famam sibi pararet; in cujus opiniones nonnullas animadversiones olim (3) edidimus. Quanto præstabilius ex priscorum recentiumque monumentis, quæ magis proficua sunt candidè sinceris Medicis exponere, ut in cognoscendis & curandis morbis expertissimi fiant, adeoque humano generi utilissimi! Nos, quæ habemus, ingenuè offerimus, & breviter,

(1) Galen. de different. febr. lib. II, c. 18.

(2) Hippoc. de Flatibus, sect. 4.

(3) Lettre dans laquelle on examine principalement quelques opinions nouvelles, concernant le Tissu cellulaire & le Puls. Journ. des Savans, Avril 1778.

ut sinunt Thesium cancelli. Itaque multa hic desiderantur; multa de argumento præsentis disquirenda supersunt. Attamen quæ modò memoravimus (Sect. I-IV) sufficiunt ut morborum plurimorum sedes & natura definiantur, symptomata explicentur, non pauca veterum loca illustrentur, curationum quas tradunt rationes magis elucescant. Sic dum interiora corporis nimis exsiccantur, inunctiones ex oleo exterius conveniunt; cum prohibita cutis perspiratione, illa quæ per cellulosas interius sit, evadat copiosior. Dum corpus verò intus nimis humidum est, frictiones sicca, cum ea adhibenda sunt quæ perspirationem externam adaugeant, siquidem interna inde necessariò imminuitur. Rursus si cellulosum systema implendum venit, lenis motus in hocce excitandus frictionibus oleosis, mollioribus; favore videtur argentum vivum, refracta dosi, sæpius adhibitum, hydrargyreos exemplo, dum prudenti arte regitur; simul & foeminarum Smyrnearum, quæ mercurium crudum ad drsgmas ij. vorant (1) ut inde pinguescant. Tum cibi & potus qui pinguem & mucosam substantiam copiosiore habent, ex piscibus & vegetantibus præsertim deprompti, jugiter & quantum ferre valet stomachus adhibendi sunt; adjectis simul corporis & animi placidissimâ quiete & somnis longioribus; sed etiam balneis tepidis (2) vel venæ sectione vasa debilitanda sunt aut laxanda. Si contra deplendum cellulosum systema, hæc roboranda sunt vel dilatanda. Impletur enim cellulosum his ferè quæ vires vasorum minuunt, & vicissim depletur iis quibus vasa replentur & corroborantur. Cellulosum etiam deplent diuretica & purgantia, cum serum idèd minori copiâ in cellulas advehatur, majori revehatur in sanguinem. Idem & sæpè efficacius præstant exercitia, sudorifera & adstringentia medicamenta cum victu & aere siccoribus; quibus, quasi pressione de spongioso textu liquores exprimuntur; præter quàm enim quòd serum diffilent, olea fluidiora reddunt, Vasculosum systema roborant vel dilatant; undè cellulosum premitur, angustatur, liquida contra absorbentium oscula fortius applicantur. Hinc acidorum mineralium, aceti præsertim, usu prudenti, obesiora corpora ad justam mediocritatem rediisse observatum est.

Si porrò ex symptomatis & causis pravas alicubi cellulosa adhesionem fieri conjecturam facias; præter diluentia interna, potissimum lac asinum, pars externa affectæ respondens vapore tepido primò mollienda est, dein oleo sæpè inungenda, ut ex perspiratione internâ abundantiori laminæ cellulares à concretionem prohibeantur; demum emplastro quod etiam resolvat aliquanditù fovenda & leni motu frequenter exercenda est. Simili methodo ariditas senilis & cornea vel lapideæ concretionem præcaventur; præsertim si quando perspiratio externa arte minuitur, intus assumuntur quæ perspirationem adjuvant; inde extus oleo, intus melle longævitatem parari, existimarunt antiquiores.

Jam materiæ morbificæ in celluloso textu contentæ, vel ex se mobiles sunt, vel non. Si materia crassa, viscida, in artuum cellularem aliquam impacta adeò hæreat, ut non mobilis sit, ab aquæ calidæ, thermalis præsertim ex alto in membrum lapsû, dilutam materiam mobilem fore sperandum est, ac pressione super incumbente, vicinas ingressuram cellulas, ex quibus deducta ac sanguini mixta foras propellenda erit. Quòd si materia morbifica ex se mobilis est, nihil commodius & utilius excogitaveris, quàm si ex apertâ, in aliquâ corporis parte, cellulari, materiæ exitum paraveris. Sic aqua intercus, frustra aliis adhibitis,

(1) Lettre de M. Galland à M. Dodart. Journ. des Savans, Juin 1680, p. 107.

(2) V. Prosp. Alpin, de Medicinâ Egyptior. lib. III, capit. 15, 16.

sæpius curatur, si in locis corporis infimis spontè fissuræ, vel arte (1) scarificationes fiant; potissimum ubi tempestivè adhibentur, ægri viribus adhuc constantibus (2) intactis musculis & roborantibus simul in usum vocatis. Leves nec multæ, sed duæ vel tres, in pede singulo scarificationes, speciatim hydropi pectoris utilissimæ: suadent, cum experientia (3) tum de celluloso textu allata (Sect. III) doctrina & veterum præcepta. In arthriticis affectibus, dum materia intus virus lethiferum exercet, relaxare partes exteriores, arthritidi magis familiares, fomentis, aquæ vapore, balneis; dum simul roborantibus & balsamicis vitalis in visceribus vis augetur, quantum proficit, miræ senationes nos edocuerunt. Similiter, rheumaticum acre externis relaxantibus, cum regimine diaphoretico, & nonnunquam topico stimulante, ad commune cutis excretorium commodè deducitur. Cutem inter & intestina commercium jam priscis Medicis notissimum. Quod de externâ perspiratione dicitur idem ferè de internâ dicimus. Indè methodi medendi ampliores & variæ seliguntur. Mucosum morbum juvant vel solvunt, excretionem per vomitum, quas aliquandò vitrei coloris & consistentiæ densæ vidimus, per alvum, muliebria, urinas, guttur & nares quasi purulentæ, febris ephemera, intermittens, exercitationes, magis quam in aquosâ temperie, mediocres.

Aër majori copiâ ex vulnere, cellulosas implens tum suctione, tum iisdem scarificationibus è corpore educitur, nec sine (4) singulari exemplo. Exitum in omni casu juvant compressio, frictio lenis, quæ ad cellulosæ loca, quæ aperta sunt, compellant spiritum, venæ sectio, diaphoretica. Quod si aër intus extricatus in minori quantitate, per cellulas vagatur, ab internis ad externas mirè, subito evocatur & quasi fugitur admotis cucurbitulis siccis. Flatus ex cute dum magna vi exsiliunt, aliquantùm crepitasse, rarissimum est. Sæpius solventibus & antiseptis assidue haustis, frictione, sudore, aut perspiratione auctâ, sine strepitu discutiuntur. Alia sunt quibus cellulosæ expurgari & depleri possunt, phœnigmi, sinapismi, vesicantia, cucurbitulæ scarificatæ, cauteria, fonticuli, setacea, ignis. Quæ omnia miras utilitates præstant. Scilicet materiæ morbificæ exitum præbent facilem & promptum, vel lentum & æquabilem: præterea evacuationes illæ continuari, cohiberi, augeri, minui-ve faciliè possunt: alia aliis substitui pro materiæ indole & ægri temperie: modò in uno corporis loco, modò in pluribus, imò in oppositis fieri partibus, pro revulsione, ut opus erit, aut derivationis ratione. His artibus morbi atroces & rebelles, vigilæ pertinaces, immanes dolores leniuntur & sanantur. Sic quod in morbis pessima mala producit cellularum inter se commercium (Sect. IV) idem in curationibus, compensatione quâdam maximæ est utilitatis: sic in universâ rerum naturâ, commoda & incommoda, alternâ vice sequuntur. Cum inter viscera, pulmo viscus necessarium, totum sit cellulosum (Sect. I.) & simul majora vasa foveat, maximas & subitas indè effici morborum mutationes, præsertim in acutis, ad salutem & ad mortem, ex jam dictis manifestum.

Ubi verò virulenta materies, cellulosæ infunditur; impediendum statim est, ne per vicinas quoquoersum serpat. Si itaque per contractum contagium advenit, ablutione, balneo, caldario, frictu, fomentis, per poros cutis materia omnis edu-

(1) Aetii, Tetr. III, Sermon. II, c. 30.

(2) M. El. Col de Villars, Thes. an Leucophlegmatia leves scarificationes: 1738.

(3) Rainssaut D. M. Journ. des Savans, 1695, p. 246.

(4) Paré, liv. 10, c. 30, p. 384.

canda est. Si per vulnus; ipsismet dilatatione, scarificationibus amplis, igne, suctione. Veneni progressum tardant ligaturæ. At contra veneni rabiosi feritatem, cum debiliores sæpè sint scarificationes, pars commorsa, aut alio modo infecta, securis, statim abscindenda erit; imò si fieri possit, membrum è corpore separandum. His initio neglectis, inter multa, quæ contra venenum, (quod magis ejiciendum quàm domandum sperare licet) haud inutilis censenda, & jam antiquitus usitata, immersio in aquam marinam, communemve, frigidam, inscio ægrotante; unde sensus interni validè afficiuntur; tria systemata, nerveum, musculosum simul & cellulare concutiuntur, venenumque stagnans movetur; per sudores hinc ortos, eliminandum.

Verùm si morbus acutus gravior absque sensibili evacuatione cessaverit, suspecta debet haberi sanatio; nec iis qui ex acuto graviore, cum materia morbo, convalescunt, valetudo satis tuta est, si minimè macruerint: metuendum scilicet ne materia morbi in celluloso textu longis anfractibus deposita fuerit, facile repullulatura; unde vel recrudescet morbus, vel ex acuto diurnus fiet, vel imperfecta ab ægritudine recreatio. Ex cellululis itaque abducenda materies est, liquoribus miscenda circumventibus, & dein per loca convenientia expellenda: quod sine strictissimâ diætâ vix obtinendum. In longis autem & inteveratis morbis, humores circulantés, ut ut satis sanos reddideris, frustra tamen perfectam sanationem expectaveris, cum cellulosa potissimum in his morbis peccent: quapropter liquida in celluloso systemate stagnantia, instauranda sunt: veteres & vitiiati succi sensim evacuandi abstinentiâ, exercitiis, purgantibus, mercurialibus præsertim, lignorumque sudoriferorum decoctis; novus & laudabilis succus Cellulis sensim sufficiens est: sic sanum & novum corpus ægro succedit. Hæc est illa *Recorporatio* à Methodicis tentum decantata, ut sine hac chronicos morbos, vix perfectè curari crediderint. Omnes ex textu celluloso indicationes in singulis morbis percurrere, longioris esset quàm hic licet, dissertationis. Nihilominus quæ de singulari ac mirabili propè dixerim textu illius fabrica (Sect. I) proposuimus, tum allatæ observationes (Sect. III, IV) fat nobis erunt ut jure concludamus.

Ergo in Celluloso Textu frequentius morbi & morborum mutationes.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus-Hieronimus
DUCOS.

M. Jos. Franciscus BOURDIER
DE LA MOULIERE, Schola-
rum Professor designatus in
annis 1789-91.

M. Antonius-Joannes-Baptista
Maclovius GUENET,

M. Anton-Petrus DEMOURS,
Regis Christianissimi Medicus
Ocularius designatus.

M. Ludov. DE MONTAIGU.

M. Paulus-Gabriel LE PREUX.

M. Joannes-Baptista Adrianus
ROSE DE L'ÉPINOY, Chi-
rurgiae, Gallico idiomate Pro-
fessor, in annos 1789-90, des-
ignatus.

M. Philippus PETIT-RADEL.

M. Ludovicus-Claudius GUIL-
BERT, & Societate Medicâ
Edimburgensi, antiquus Regis
exercituum Medicus ordina-
rius.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-CAROLUS ASSELIN, Abrincensis,
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1788. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ diœtæ du Fournelle, 1788.

